



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **De Breviario Concionatorio, Strenæ, Fidelis Prophetissa Concionibus de B. M. Virgine serviens, Conciones Occurrentes & Funebres**

**Tylkowski, Wojciech**

**Oliva, 1686**

In Funere mulieris nobilis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51821](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51821)

ista reponas. *Non habemus hic civitatem manentem. Oportet in Christo sepeliri. Philofophus quidam hoc tumulo inculpsit. Nudus in hunc mundum venit, miserè vixi, dubius moriar, quò venturus sum nescio. Ista Echnicus, sed nostra Rachel que sepulta est in via qua ducit Ephratam.*

Erexit Racheli *Jacob titulum.* Ab antiquo ponebantur Epitaphia; Machabæis erexerunt filii pyramides & in illis appenderunt arma, & inculperunt naves. In Alexandri Magni tumulo erat ex cupro statua Asiæ ligata itemque Africæ, inscript. *Victoria Alexandri.* In sepulchro Josephi in Ægypto, lapidei frumenti manipuli. Hieron. ad Pammachium ep. 26. *Ceteri mariti super tumulos uxorum spargunt rosas, violas, flores, que purpureos, & dolorem pectoris his officiis consolantur. Pammachius noster ossa veneranda elemosynæ balsamo rigat. Erexit Maritus Epitaphium. Marite iterum tibi uxor valedicit, gratias agit &c. Et nos unanimiter. Requiescat in pace.*

### In Funere Mulieris Nobilis.

**O** Diem luctuosam quâ mortua est N. Mater pauperum &c. Job. 3. *Dies ille vertatur in tenebras, & non requirat eum DEUS desuper, & non illustretur lumine.* Per dies septem Amici cum visitarent Jobum præ dolore non loquebantur. Alias dolor loqui solet, sed quid loquar? dolores de hac morte numerabo.

Lugēt imprimis familia. Sunt aviculæ dictæ soroaetes in terra Saracenorum, quæ Dominica Passionis lugubres sine cantu pendent ab arboribus, alis in crucem expansis, & dum Eclipsim Luna patitur, corda in illis obrigescent, oculi caligant. Imago hæ aves sunt familiæ. Jer. 1. *Nunquid avis discolor hereditas mea mihi, nunquid avis tineta per totum? Discolor*



scolor hæc familia ob varietatem dignitatum, statuum, &c. Est Eclipsis, quia inter familiam ut solem, & defunctam ut lunam, terra sepulchralis interponitur. Quod in corde est hoc produunt oculi. Eccl. 13. *Cor hominis immutat faciem illius.* Agar in deserto ne spectaret mortem filii Gen. 22. Sedit contra eum, debuisset retrò, sed quia illum habebat in corde, oculis ad illum ferebatur; ita video mæstam familiam quæ intuetur fere trum Thren. 4. *Mæstum est in dolore cor nostrum, & oculi nostri contenebrati sunt.* Hæc N. omnes exhilarabat, humanitate, morum suavitate, at modo canere potest Familia. Thren. 5. *Defecit gaudium cordis nostri versus est in luctum chorus noster.* Ecce cor tabescens Aviculæ, Videamus ecliptum. Magna fuit ex conjunctione illius familiæ cum familia mariti, magnus splendor utrinque dignitatum, Eccl. 26. *Mulier prudens lucerna splendens in candelabro sancto.* Et ecce modo, *Oculi nostri obtenebrati sunt.* Quare meritò plorat familia, quia Eccl. 22. *Super mortuum plora quia defecit lux ejus.*

Luget Maritus, cor amisit. Eccl. 26. *Gratia super gratiam mulier casta & pudorata,* hoc ipsum Oleaster ita legit. *Respiratio viri mulier casta & pudorata.* A corde principium respiritii hominis, à viro mulieris, custodit illam ut cor, quod nullum vulnus sustinet. Cor amoris sedes, uxor Marito amoris est, animum sociat & unit. Et ecce modò cum Agag dicit, *Siccine separas amara mors?* Convenit te marite alloqui verbis Sopatris. *Perdidisti animæ solatium, vitæ subsidium, annorum lactamentum, laboris adjumentum, utriusque participium.* Vellem tuum luctum moderari, sed illa lex moderatur. *Statutum est hominibus semel mori.* Quisque aliquem defunctum luget, 1. Reg. 14. *Omnes morimur, & sicut aqua in terram dilabimur.* Sed animus etiam tuus magnus te soletur, soletur DEUS qui corda hominum in sua manu habet.



Lugent proles Thren. 3. *Contenebrati sunt oculi nostri.* Oculi sunt filii, ita Mater Tobiae misso peregrè filio. *Ut quid te misimus peregrinari fili mi lumen oculorum nostrorum.* Nihil oculo carius, nihil filio. Si familia est cœlum, filii sunt stellæ, seu oculi cœlestes, qui aspectu omnes lætificant, motu morum exhilarant. *Contenebrati sunt oculi nostri. Mater nostra abiit, & quando revertetur? Pupilli facti sumus absque Matre.* Gen. 35. Cùm Rachel peperisset filium, appellavit illum Benoni, id est, *filium dexterae.* Vos Filii pupilli quomodo vocabo? cùm intueor sublimes natales, ætatem floridam, voco Beniaminos, Sed cùm pupillos, voco Benoni. Cum Patrem vestram spectro, dico Beniaminos, cùm Matrem mortuam, Benoni. Video affinitates, &c. Sed utut vocari vultis, doloris est ingentis res ipsa. Si liceret scrutari DEI iudicia, dicerem, Deut. 22. *Si ambulans per viam, in arbore vel in terra nidum avis inveneris, & Matrem pullis vel ovis desuper incubantem, non tenebis eam, sed abire patieris, ut bene sit tibi, & longo tempore vivas.* Ita præcepisti circa pullos DEUS, & modò Matrem à filiis pepulisti. *Contenebrati sunt oculi nostri.* Tibi præcipue condoleo Filia, *Unica matris suæ, & electa Genitricis suæ.* Thren. 2, *Cui comparabo te, vel cui assimilabo te filia Jerusalem? cui exaquabo te, & consolabor te virgo filia Sion? Magna est enim velut mare contritio tua, quis medebitur tibi? Non possum te comparare filiaë Raguelis, quam Mater Domo legitime expedit.* Tob. 10. *Apprehenderunt Parentes filiam suam, & osculati sunt eam, & dimiserunt eam, &c. Monentes eam honorare soceros, diligere maritum, regere familiam, gubernare domum, & seipsam irreprehensibilem exhibere.* Tibi Marice illa filiam commendat DEUS. 4. Radræ 8. *Amplectore natos istos usque dum venio, & præstem illis misericordiam quoniam exuberant fontes mei, & gratia mea non deficiet.* Hoc sit tibi Filia solatio, habes Patrem qui Matris vices gerere potest.

Lugent



Lugent Amici, & istos appello oculos. Zach. 3. *Qui sunt oculi isti?* respondetur. *H. sunt oculi qui discurrunt per universam terram.* Nobiles discurrunt per officia, castra, Dignitates Ecclesiae, &c. Omnium capaces, & hic dico. *Contenebrati sunt oculi nostri.* Dafuncta fuit vobis instar lucis, jam sunt tenebrae. Vidit Ezechiel cap. 1. currum. *Totum corpus rotarum erat oculus plenum in circuitu ipsorum,* &c. Per currum Euthymius intelligit regna mundi, illa ut currum DEUS regit. Dan. 4. *Dominatur Excelsus in regno hominum.* Nobiles partim sunt homines trahentes illum currum. *Et Joseph natus est homo Princeps fratrum, firmamentum gentis, stabilimentum populi.* Sunt alii Aquilæ. Job. 19. *Oculi Aquilæ de longè prospiciunt.* Sunt & Leones. Prov. 31. *Leo fortissimus bestiarum, ad nullius pavebit occursum.* Sunt & boves, propter laborem pro Patria. Nobilitas est tota, unde dicitur, Rota equestris hi sunt oculi, notat rota concordiam. *Aspectus rotarum & opus earum, quasi sit rota in medio rotæ.* Optima est concordia quando rota est in medio rotæ, in corde alterius, idem sentiunt. Philip. 2. *Idem sapiatus eandem charitatem habentes, unanimes, id ipsum sentientes, nihil per contentionem,* &c. *Non quæ sua sunt singuli considerantes sed quæ aliorum.* Rotæ illæ non solum cum animalibus sed etiam secum concordabant. *Cum ambularent animalia, pariter & rotæ juxta illa ambulabant, & cum elevarentur animalia de terra, elevabantur simul & rotæ.* Consonant cum Senatu Nobiles. Cyrillus apud Lyranum. *Non lyra suaviter sonat, nisi chorda inferior superiori concinat.* In rotis erat vita. *Quocumque ibat spiritus, illuc eunte spiritu & rotæ pariter elevabantur sequentes eum.* Obediant Nobiles Regi. Bern. serm. de Natura amoris. *Rotæ in quibus est Spiritus vitæ, semper inclinant in voluntatem DEI perficiendam, nec revertuntur ad faciendam suam si jubentur præesse, præ sunt in sollicitudine: si subesse, subsunt in humilitate*



*militate: si coësse, in charitate: si Prælati sunt, sicut Patres ad Filios: si subiecti, sicut Filii ad Patres: si convenientes, seruos se faciunt omnium. Hi oculi sunt obtenebrati, sciunt qualem amiserunt. Castores si in genere suo principalem amiserunt, præcipui aliquot horis vigilias agunt, alii in luto se volutant. Apes post mortem suæ Matris, mel non conficiunt, fayos corrumpunt, de qua re Chrylost. hom. 11. in Matth. Imitentur bestias Amici, imitentur subditi, & fecerunt.*

Causa hujus communis doloris quæ est satis causæ, quia mortua N. dum rem lugubrem Moyles narrat Gen. 36. Et Jacob. 48. solum dicunt. *Mortua est Rachel. In quæ verba Ticus Bostrensis, Hoc ad dolorem satis, quippe omnem tam populi quam Filii iacturam unicâ mortis voce, omnem dolendi materiam unicâ Rachelis mentione consignârunt. Satis & nobis, quia mortua N. Hic commemora marito qualem amiserit, &c. Qualis fuit, genere, pietate. Hæc conservat familias. Quamdiu Saul DEO carus tamdiu Rex, at verò 1. Reg. 15. Projecisti sermonem DEI, & projecit te Dominus, ne sis Rex super Israël. Educabat sanctæ puellas Nobiles, egit in hoc ut scripsit Theodoricus de utilitate Monach. *Ulmus, etsi vinum non profert, vitem producentem vinum sustentat: ita par est, ut quæ virginitatem non proficitur, in aliis provehat, veneretur, inviolatam tueatur. Istæ modò lugent Pauperes. De eleemosyna scripsit Chrylost. serm. 9. in Evang. *Ue quid respicis cælum si nihil ibi habes repositum? quod pro anima dedisti hoc tuum est: quod reliquisti, perdidisti. Cùm esset in civitate Jope mortua Tabitha liberalis in pauperes, Act. 9. rogârunt S. Petrum ut illam suscitaret, si modò esset Petrus, oraremus. Hæc omnia ô mors rapuisti. Audi DEUS germitus, & solare.***

In Fu.